IN OBITV

CAROLI MARIAE ROSINII

EPISCOPI PVTEOLANI

REGIAE BORBONICAE SOCIETATI PRAEFECTI ETC.

ELEGIA

ATQVE EPIGRAMMATA TEMPORARIO TVMVLO ADPOSITA

NICOLAI LVCIGNANI

PVTEOLANAE CATHEDRALIS ECCLESIAE CANONICI,

IN REGIA STVDIORVM VNIVERSITATE

LATINAE ELOQVENTIAE, POESEOS ATQVE ARCHAEOLOGIAE PROFESSORIS,

REGIIQVE HERCVLANENSIVM VOLVMINVM INTERPRETIS etc.

NEAPOLI

EX TYPIS XAVERII IORDANI

1838.

Quum omnibus virtutibus me adfectum esse cupiam, tamen nihil est, quod malim, quam me et gratum esse, et videri: haec est enim una virtus non solum maxima, sed etiam mater virtutum omnium reliquarum.

Cicer. in Orat. pro Cn. Plancio.

FERDINANDO FERRIO

VIRO CLARISSIMO

MAGNAE PVBLICIS RATIONIBVS EXPENDENDIS CVRIAE

PRAEFECTO etc.

NICOLAVS LVCIGNANVS.

Nemo profecto fuit, Ferdinande Ferri, Vir Clarissime, in tota hac urbe, quin et universa, qua patet, Neapolitana ditione, qui Caroli Mariae Rosinii, sanctissimi, doctissimique Pontificis obitum non tulerit permoleste. Etsi enim ea erat ille aetate, ut mature cessisse fato videretur; cuncti tamen eius ingenio, ac virtute capti eum si minus immortalem, quod homini contingere non licet, diuturniorem certe fieri cupiebamus, ac sane quam iucunde delectabamur, quum nostras ille spes senex florentissimus confirmaret in dies summa corporis animique vi, ac prope singulari in laboribus adeundis, fungendisque patientia. Si qui vero sunt bonorum studiorum, et politioris humanitatis amatores, ii adeo Rosinii casu sunt perculsi, ut eo extincto Graecas, Latinasque veneres, et exquisitam illam earum teneris praesertim animis instillandarum solertiam pene cum eo extincta non sine gravi quodam totius rei litterarum publicae malo querantur. Atque hinc sane factum

est, ut multi in eius laudem undique sese effuderint, eiusque nomen non vulgari auctum gloria traditum sit posteritati. In quo quidem celebrando quum ego potissimum omne ingenium, ac facultatem meam, si quae unquam in me fuit, contulissem, etsi ceteris fortasse omnibus satisfecerim, numquam certe ipse mihi satisfecero, quoad quantum parenti filius, aut optimo magistro non ingratus discipulus debet, id me vel praestitisse, vel voluisse, animus mihi meus plene testetur. Atque ea profecto de causa hi nunc elegi prodeunt in lucem; qui quum annis abhinc duobus (1) *scripti a me, ac publice pronuntiati essent, quamquam eos probe noram crasso, uti aiunt, filo, nec satis*

(1) Nempe in doctorum virorum satis frequenti coetu, quem Amplissimus Eques Prosper de Rosa Mensae Publicae Praepositus ornandi hominis de se optime meriti gratia domi habuit VII. Idus Maias An. MDCCCXXXVI.

bona cum Apollinis gratia contextos, tamen, utcumque fuerint, cum nominis mei periculo edere malui, quam si quid ad amplificandam in posteros hominis famam faceret, negligere. Hos autem tibi potissimum dicandos censui, non tam quod tu, quum semel eos audieris, nunquam postea a me petere destitisti, deceptus fortasse in eo nimia quadam opinione de me tua, quam quod nemo prope fuit, quocum coniunctius, ac iucundius vixit ille, iam inde ab eo, quum tu Puteolanae rei Praefectus totam eam regionem nostram luce ingenii, ac consilii tui ornabas. Hosce igitur versiculos, et pauca addita illis Epigrammata temporario olim tumulo solemni in Viri funere adposita, testes et summae in illum voluntatis, et observantiae in te meae, aequi, bonique consulas, meque, quem dilexisti a puero, eadem benevolentia fovere pergas — Dabam Neapoli ex AEdibus Seminarii Urbani Kalendis Octobris Anno R. S. MDCCCXXXVIII.

2

IN OBITV
CAROLI MARIAE ROSINII
EPISCOPI PVTEOLANI etc.

ADFECTVS, GRATIQVE ANIMI SENSVS

NICOLAI LVCIGNANI

ELEGIA

Carole, non lusus, non dulcia gaudia Musae,
  Ah miser, ah gemitus, ah tibi do lacrymas.

O vulnus, vulnus nullo delebile saeclo,
  O vulnus, quod non leniat ulla manus!

Qualis in exanimi latus, et gelida ora parentis
  Natus, ut extincta matre puella fremit,

Avulsa e caris complexibus, inque profundum
  Versa retro praeceps tristitiae barathrum;

Talis acerba mihi, te decedente, repostum
  Talis atrox urit pectus amarities:

Tu materque, paterque mihi, tu sidus utrumque,
  Carole, tu vitae sola serena quies.

Ah quis me posthac rebus solabitur aegris?
  Quis dabit optatam, quis renovabit opem?

*

Per te ego fortunae quondam dereptus iniquae
Mutavi infaustos, tecta paterna, lares :

Per te pauper, inops, sacris adlectus ephebis
Coepi parva meae solvere vela rati :

Tum me Palladias tua vox, tua cura per artes,
Laudisque, et magnum duxit honoris iter,

Et tecum insueti conscendere culmina Pindi,
Et tecum Aonios visus obire choros.

O mea lux Latiae Divae, Divaeque Pelasgae,
O iucunda olim nomina, Pierides,

Scindite iam crines, et tundite pectora palmis;
Vestra eversa omnis gloria, Pierides.

Non vobis iam tecta licet celebrare beata,
Non blandisve licet plaudere carminibus,

Dux ego quae spissae modulabar saepe iuventae,
Lenibamque Patri molliter auriculas.

O ubi nunc caraeque umbrae, carumque viretum?
O ubi deliciae, citrus amoena, tuae (1)?

(1) Mos erat doctissimo Praesuli litterariis iuvenes meditationibus excolere aestivis mensibus, septimo quoque die, in amoenissimo Pseudourbani sui Seminarii hortulo, quem undique ad veteris quamdam Academiae speciem iis ipsis olim in locis forte a Tullio exsuscitatae citreis arboribus conseverat. Ibi a sedulis adolescentibus omni fere carminum genere certabatur, quibus ille in concertatiunculis maximas animi sui delicias ponebat.

Citrus amoena, cui non ipsius inclyta Phoebi
Laurea, non arbos certet amica Iovi?

Felices ubi iam numeri, choreaeque, iocique,
Sive Catulle, tui, sive Tibulle, tui?

O dulces elegi, quondam mea prima voluptas,
Et parva ingenii regna beata mei,

Si placui vobis, si vos placuistis et illi,
Et tetigit vester pectora saepe dolor,

Et vestro immaduit fletu, totumque medullis
Hausit flexanimi carminis imperium (1),

Tristius ah vobis, vel si quid mollius intus
Est, date iam sanctis ossibus inferias.

Carole, te praebente manum, lucemque benignam
Dicor ego notas praeteriisse vias,

Dicor et antiquos Sophiae lustrasse recessus,
Tot scrutatus opes, tot monumenta virûm:

Et patriae vixit per me fortuna iacentis,
Candida facta genas, candida facta comas (2):

---

(1) Si verum est, quod *trahit sua quemque voluptas*, nos natura quadam ad mitiores elegos iam inde a teneris annis rapiebamur, iisque ille ipse cantiunculis adeo prae quavis alia carminis forma oblectabatur, ut non raro mollioribus illis adfectibus obsecundantem, nobisque animos addentem experti simus. Vide *Selecta Carmina per nos edita Neapoli typis Tramater An. MDCCCXXXII.*

(2) Vide Commentarium nostrum *In vetus litteratum marmor Puteolis effossum. Neapoli iisdem typis Anno MDCCCXXXI.*

Et dilecta tibi vixit , nituitque papyrus ,
Laeta tuis curis , laeta magisterio (1):

Me docti cupiere lares , me Regia Siren
Certantem Latii viribus eloquii

Excepit , fovitque sinu , cinxitque coronâ :
Auxit Borbonius me socialis honos . . . . .

O Pater , o plusquam patrio mihi vinctus amore ,
Dulcior et vita , dulcior atque anima ,

Muneris omne tui est , si quid mihi pulchrius usquam est ;
Si spiro , et placeo , muneris omne tui est.

Nulla mihi memori vellet te pectore , nulla et
Te mihi vis avidis abstrahet ex oculis :

Te sole exoriente , et te moriente tenebo :
Nulla mihi sine te nox , venietque dies :

Et quum rite Deo sanctas operabor ad aras ,
Et quum rite statas persequar orbe preces ,

Non materve , paterve aderit sic crebrior ori ,
Carole , non menti promtior alter erit.

At tu , quae caros cineres complecteris , urna ,
Saepe meos gemitus , vanaque vota bibes.

---

(1) Nempe Herculanensis papyrus , sive Philodemi opus Περι των ποιηματων XXXVI. Columnarum , quod interpretatione , supplemento , iustoque commentario auctum propediem , si Deus annuet , Herculanensi Academiae expendendum de more sistetur.

EPIGRAMMATA

TEMPORARIO TVMVLO ADPOSITA.

Pro Templi Foribvs.

KAROLO · MARIÆ · ROSINIO · EPISCOPO · PVTEOLANO
MORTALITATE · DEFVNCTO
IVSTA · EXSEQVIARVM . OFFICIA
ET · HOSTIAE · PIACVLARES
CVM . LAVDATIONE · ET · TITVLIS

ADCVRRITE · ADESTE · CIVES
ET · PASTORI · INDVLGENTISSIMO
QVI · VOS · DVODEQVADRAGINTA · ANNOS
PATERNO · FOVIT · AMORE
EXTREMVM · IAM · VALE · DICITE · EXORATE · PACEM

In Antica Tvmvli Facie.

KAROLVS · MARIA · ROSINIVS · AD · EGREGIARVM
DOCTRINARVM· AC·VIRTVTVM·INSTAR·EFFICTVS
QVVM · FAMA · NOMINIS · SVI · TOTVM · ORBEM
NEAPOLITANVM · ET · PLVRIMA · EVROPAE
REGNA · COMPLESSET · GRAVISSIMA · MVNIA
QVA · PROFANA · QVA · SACRA · SVMMA · IN-
TEGRITATE · AC · PRVDENTIA · OBIISSET · EC-
CLESIAM · PVTEOLANAM · QVADRAGINTA · FERE
ANNOS · SANCTISSIME · GVBERNASSET · LITTERIS
EXPOLIISSET · SALVBERRIMIS · LEGIBVS. ORNAS-
SET · SEMINARIVM · PENE · COLLAPSVM. TVM
ALVMNORVM · FREQVENTIA · TVM · INVECTIS
OMNE · GENVS · DISCIPLINIS · IN · FLORENTIS-
SIMORVM · ITALIAE · EPHEBEORVM. ADMIRA-
TIONEM · ADDVXISSET · IVVENES · SVA · IPSE
VOCE · AC · MAGISTERIO · AD · SOLIDAM · PIE-
TATEM · AC · SAPIENTIAM · INFORMASSET · VERE
MAGNI · ILLIVS · BORROMAEI · AEMVLATOR. AT-
QVE · HAERES · TANDEM · LABORIBVS · ADTRI-
TVS · AERVMNOSAM · HANC · VITAM · CVM · IM-
MORTALITATE · COMMVTAVIT · IN · SENECTVTE
BONA · IN · DVLCISSIMORVM · NATORVM · AM-
PLEXIBVS · IN AETERNAE · SECVRITATIS · SPE
VIXIT · ANN. LXXXVII. MENS. X. DIES. XVII.
SEDIT · ANN. XXXVIII. MENS. I. DIES · XXVI.

CONLEGIVM · CANONICORVM
ANTISTITI · AC · PARENTI · DE · SE · OPTIME · MERITO
MORE · MAIORVM · IVSTA · PERSOLVIT

In Dextero Tvmvli Latere

HERCVLANENSIVM · VOLVMINVM . INTERPRETA-
TIONEM · OPVS · VEL · MAXIMORVM · LITTE-
RATORVM · OPINIONE · PENE · DESPERATVM
KAROLVS · ROSINIVS . FELICIBVS · AVSPICIIS
PRIMVS · OMNIVM . TENTAVIT . EXEGIT . IDEM
ISAGOGICAM · DISSERTATIONEM · AD · EORVM-
DEM . VOLVMINVM · EXPLANATIONEM . DO-
CTORVM . HOMINVM . VOTA . IPSA . PRAETER-
GRESSVS · QVANTA · MAXIMA · CELERITATE
POTVIT . ORNAVIT · GRAECOS · PHILOSOPHOS
ORATORES · POETAS · SVMMA · CVM · FACILITATE
TRACTAVIT · DIATRIBIS · ORATIONIBVS · CARMI-
NIBVS . OMNI · FERE · SCRIPTORVM · GENERE
REM · LITTERARIAM · LOCVPLETAVIT · DIGNVS
PROFECTO · QVEM . ET . PLVRES . EVROPAE
ACADEMIAE. CERTATIM · SIBI · CONLEGAM · OPTA-
RENT · ET · NEAPOLITANI · PRINCIPES . AMPLIS-
SIMIS · CODICILLIS · TVM · REGIAE . SOCIETATI
BORBONICAE · TVM · EIDEM . PAPYRACEAE
BIBLIOTHECAE · REGVNDAE · PRAEFICERENT.

In Laevo Tvmvli Latere.

VIRGINES
EFFVNDITE . LACRYMAS . INGEMINATE . SVSPIRIA
HEV · PATER · OBIT · BENEFICENTISSIMVS
QVI
VT· VOS · DITARET · E · DIVITE· PAVPER·EFFECTVS
SPLENDIDISSIMA · PLVRIVM · ANNORVM·STIPENDIA
IN · VOS · AC · VESTRVM · SINVM · TOTA . PROFVDIT
AEDES · SVPELLECTILEM · INSTRVMENTA
OMNIGENA · COMPARAVIT
FEMINEAS · ARTES · ADSCITIS · VNDECVMQVE
MAGISTRIS · SAPIENTISSIMIS · EDOCVIT
CELEBRITATI · NOMINIS · VESTRI · CONSVLVIT
IN · ID · MAXIMIS · CVRIS · INTENTVS
VT · PVTEOLANVM · ORPHANOTROPHIVM
QVA · MORVM · SANCTITATE
QVA · NITORE · OPERVM
CVM · PRAESTANTISSIMIS · REGNI · CONLEGIIS
CONTENDERET
PERPETVAM · SIBI · FAMAM · OPESQVE · STABILIRET
HEV · QVANDONAM · PAR · AVT · SIMILIS
VOS · PATER · AMPLEXABITVR
VIRGINES · EFFVNDITE · LACRYMAS
INGEMINATE · SVSPIRIA

In Postica Facie Tvmvli.

KAROLVS · MARIA · ROSINIVS
OMNES · OMNIVM · CVRAS
ET · PASTORALES · SOLLICITVDINES · AMPLEXVS
A · PRIMO · PONTIFICATVS · ADITV
AD · EXTREMVM · VSQVE · SPIRITVM
ID · EGIT
VT · CREDITAM · SIBI · DIOECESIM
SAEPE · AC · SEDVLO · LVSTRANDO · CORRIGERET
SACRIS · CONCIONIBVS · ADSIDVE · ERVDIRET
POPVLORVM · CALAMITATES · OMNE · GENVS
AVXILIIS · LEVARET
AEGROS · DEBILES · MENDICOS · DILIGENTISSIME
CONQVISITOS
SVMTIBVS . SVIS · ALERET
MVLTIS · MILLIBVS . CENTVSSIVM · EROGATIS
MENSTRVAQVE · STIPE · IN · SINGVLOS · ADSIGNATA
HAVE · ANIMA · CANDIDISSIMA
COELO · AVT · IAM . VT · SPERAMVS · POTITA
AVT · BREVI · POTITVRA
CLERVM . POPVLVMQVE · TIBI · DEVOTISSIMVM
IVVENES · AC · VIRGINES · AMOREM · TVVM
PERPETVIS · PRAESIDIIS . TVETOR
DIGNVM · TVIS · VIRTVTIBVS · ANTISTITEM
QVI · TIBI · SVCCEDAT
ADPRECATOR

MONITUM.

In edendo nostro Commentario *De Vita*, ac *Rebus Gestis* huiusce ipsius Antistitis Porcellianis typis Anno MDCCCXXXVI plura exciderunt σφαλματα, quae tunc mutare, uti fit, in calce operis nequivimus. Heic autem insigniora notabimus, quaeque magis legentem morari possint; cetera, si quae sunt, aequo quispiam animo feret.

Pag. 3.	ociusque	ociusve
Ibid.	in quo uno	in quo maxime
Pag. 10.	Gaece	Graece
Pag. 15.	miracula	miraculo
Pag. 17.	cumulatissime.	sapientissime
Ibid.	enucleantis	enucleandis
Pag. 25	mensilique	menstruaque